

† R. P. Iosephus Kučera (1884–1933)

(*Prov. Prag.*)

Defunctus confrater 14 Iulii 1884 in Kostelec, Moraviae vico, natus est, quo tempore missio a nostris in ecclesia parociali Štípa habebatur.

Parentes, religione ac pietate sincera eminentes, octo liberis donati sunt; filiorum duo Congregationi nostrae nomen dederunt, tertius presbyter saecularis factus. Pater libellum Visitationum a Patre nostro legifero conscriptum praediligebat. De matre quoque Iosephus in commentariis ad usum proprium exaratis verba amoris tenerrimi scribit, referens de dulcibus momentis, cum ipse, ad matrem nentem assidens, eam de Iesulo et Angelis narrantem attento animo audiret vel genua flectens preces per ipsam edoctas recitaret.

Iosephus parvulus libenter sacerdotem sacris operantem imitabatur, et cum esset natura timidus, consortium aequalium vitabat. Per totam vitam rus praeferebat urbibus, solitudinem turbae hominum.

Sexta classe humaniorum in iuvenatu nostro peracta cum fratre ceterisque condiscipulis Pragam in novitiatum perrexit et post duos menses inde in oppidum Světec, quo novitiatu tunc transferrebat. Ibi multas pertulit animi anxietates, donec verbo insignis Redemptoristae P. Soukenik († 1905) ipso die oblationis 24 Iunii 1902 animi pacem invenit.

Neoprofessi in Sacrum Montem et post mensem in collegium Obořiště tunc incipiēns abierunt, duos primos annos studiis gymnasialibus absolvendis vacaturi. Sed iam altero semestri Fr. Kučera e capite vehementer laborare coepit, quae partim hereditas a matre acceptata, partim sequela infelicis in pueritia casus fuisse videtur; etiam vertigine postea multum vexabatur.

Studium philosophiae ei labor arduus fuit, theologiae vero dogmaticae iucundissimum. Tempore studiorum vitae communis sensum praestantem exhibuit. Homo sollers seu practicus ad festivitates domesticas ornamenta parabat: cum nonnullis confratribus primam scenam studentatus construxit, in academiis diversis cooperabatur; ubique in opera inter primos sine multis verbis. Libenter nova aggrediebatur. Quae inclinationes postea in actus maiores transierunt.

Fr. Kučera inter studiorum labores, capitis dolores animique difficultates ad gratiam sacerdotalem maturavit. Ex dictis commentariis amor clerici iuvenis erga Beatissimam Virginem elucet. Ita 14 Iulii 1902, Sacrum Montem primo ingrediens, cupit ut hoc loco aliquando qua sacerdos laudes Deiparae praedicare possit. Quod cupierat, obtinuit abunde. Devotionem quoque erga SS. Cor Iesu spirant commentarii. « Haec devotio », inquit, « fons consolationis et gratiarum mihi exstitit ». Die 29 Iunii 1908 metam attigit optatissimam, per Eñum Card. Skrbenský, Archiepiscopum Pragensem, sacerdos ordinatus.

A. 1909 Romam ad Scholam Maiorem tunc fundatam mittitur, peculiariter adscriptus cursui superiori theologiae moralis. Praelectiones cl. Patris Wouters una cum annis diuturnis lectoratus (1911–1916, 1927–1933) et confessionalis ministerio effecerunt, ut P. Kučera quaestiones ad morum scientiam pertinentes prompte et sagaciter resolvere posset. Annis Romae transactis etiam pietas erga Congregationem altiores in eius corde egit radices, quam postea, data opportunitate, verbis prodebat, maxime vero factis, fungendo diligentissime officiis sibi commissis.

Studentium Praefectus iam a. 1912 factus est. Alumnis hanc normam tradidit: « Multum in studia incumbite, multum orate, multum cibum comedite! » Curam habebat magnam, ut feriae autumnales amoenae essent,



ultimoque anno more exploratorum prandium sub divo apparandum curavit, obiens ipse munus coqui. Quoniam propria experientia edoctus momentum cultus B. M. V. apud clericos bene noverat, effecit ut Foedus Cordis Eucharistici, iam pridem in studentatu fundatum, cultum Virginis Immaculatae ceu alteram statutorum columnam poneret.

Post quattuor annos valetudo P. Praefecti, de valetudine clericorum adeo solliciti, labefactata est. Relicto itaque studentatu a. 1916 Sacrum petiit Montem, ubi aliquantulum requiesceret viresque reficeret; revera autem sicut ceteri ibi laboravit.

Inde ex a. 1918 munus Magistri per novem annos continuos sueta diligentia explevit et in univrsum circa 30 Patres Provinciae educavit. Ut alias, sic in hoc officio obeundo sese virum strenuum, subinde forsitan rigidiorum, praebuit. Novitium vero, qui e iuvenatu nostro venerat, non sine cunctatione dimittebat, putans talem praesumendum esse a Deo vocatum. Solebat unicuique subditorum litteras scribere quasi nomine B. M. V.

Triennio elapso, cum P. Magister etiam Superior domus constitutus esset (1921), statim animum suum ad negotia adorienda alacrem ostendit, comparando v. gr. ecclesiae campanas in earum locum, quas bellum rapuerat. Verum iam a. 1922 novitiatus e domo Bilsko in collegium Budvicense est translatus. Ibi denuo P. Magister Kučera indolis suae practicae specimina dedit, varia suppellectile novitiatum instruens. Praeterea, cum diligenter pro sacro tribunali sederet et animabus piis, ut ipse quondam dixit, confessionem facilem reddere studeret, quo libentius salutari lavacro uterentur, inter fideles oppidi magnam sibi aestimationem conciliavit. Ipse quoque hunc populum sincerum dilexit quadam praedilectione. Etiam praeses Congregationis Marianae studentium ibi fuit, cuius laboris fructus aliquot bonae vocationes sacerdotales et religiosas exstant. Ni fallor, anni Budvicenses vitae eius sacerdotalis tempus evaserunt iucundissimum.


A. 1927 domui studiorum Obořištěnsi Rector praefectus est, et iam primo anno tot mutationes in domo factae sunt, ut quidam ex alia domo Pater omnibus visis pronuntiarit ex vetere Obořiště sola mansisse lineamenta. Qua in re hac cogitatione ducebatur, ut domus Lectoribus, per totam fere vitam ei alligatis, grata et amoena exsisteret.

Cum P. Rector non semper bene valeret, multum scribere cogeretur laboremque differre nollet, facile accidit, ut subditus animadverteret se non convenienti tempore in eius cubiculo apparuisse. Alio vero tempore adveniēti vultus benignus affulgebat patrisque voluntas ad iuvandum filium paratus. Etiam cum reverentia observabamus P. Rectorem Viam Crucis obeuntem vel in exercitiis spiritualibus prope Tabernaculum orantem et de animae sanctificatione cum Domino decertantem.

Quamquam P. Rector Kučera sexennio elapso nervis valde debilitatus erat, tamen Superiores sperabant fore, ut Directoris munere fungi posset.

Itaque 30 Maii 1933 in iuvenatum Libějovicensem profectus est. Sed confrater noster, undequinquaginta annos natus, iam ad messem caelestem fuit maturus.

Die 8 Augusti sole vehementer urente cum iuvenistis longius deambulatum ivit. Revertens pedem laesit, ita ut demum a iuvenistis potius



Corpus Patris Iosephi Kučera e Sacro Monte effertur tumulandum.

portaretur; neque tamen permisit, ut currus compararetur. Cum nimia fatigatione venae pedis illaesi inflammatae essent, aliquot diebus a celebranda Missa impediabatur. Sabbato 12 Aug. denuo ad altare accessit, sed ultimo. Eo die vesperi, cum ob aliquam causam se inclinasset, subito in capite vehementem percepit dolorem. Particula concreti sanguinis e pede inflammato (trombus) cerebrum invadens apoplexiam causaverat. Lectulo compositus dolores pro iuvenatu saepius obtulit. Postea alta voce *Salve Regina* recitavit, et peculiari quidem devotione illa verba *O clemens, o pia, o dulcis Virgo Muria*, atque varia dixit egitque, quae, quamvis forsitan non clara conscientia fierent, tamen intima pii animi sensa manifestabant et videntem audientemque magnopere commoverunt. Consilio medici post biduum in valetudinarium Strakonicense transportatur ibique iam hora matutina festi B. M. V. Assumptae spiritum Deo reddit. Pridie Sorores aegroto conspecto statim dixisse feruntur: « Redemptorista est. Festo B. M. V. morietur! »

Libějovicensis et Sacromontanus Rector inter se convenerunt, ut defuncti confratris corpus in civitate Přebram sub Sacro Monte tumularetur. Funus diei 18 Augusti, in quo amplius sexaginta rocheta albescebant (vide figuram hic appositam), triumpho potius fuit simile.

Confrater noster carissimus et de subole Provinciae maxime meritis olim prope sanctuarium B. M. V. in paroecia eius sacra natus erat et nunc sub radicibus Montis B. M. V. Sacri quiescit. Circumstantiae eius vitae, morbi, mortis, sepulturae innuunt Matrem caelestem filio amantissimo amorem amore retribuuisse.